Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



et prualebaties donec uenerit antiquus dierum et iudicium dederit sancto excelso et tempus adueniens et regnum obtinuerit sanctorum et sic ait. Bestia quarta regnum quartum erit in terra quod maius erit omnibus regnis et devorabit universam terram et conculcabit et comminuet eam. Porro cornua ipsius regni decem reges erunt et aliud surget post eos et ipse potentior erit prioribus et tres reges humiliabit et sermones de excelso loquetur et sanctos altissimi deteret et putabit quod possit mutare tempora et leges et tradentur in manu eius usque ad tempus et tempora et dimidium temporis. Et iudicium sedebit et auferetur potestas eius et deteratur et disperdatur usque in finem. Et regnum autem et potestas et magnitudo regni quae est sub omni caelo detur populo sanctorum altissimi cui regnum sempiternum est omnes reges servient ei et obedient. Huc usque finis ubi. Ego daniel multum cogitationibus meis conturbabar et facies mea mutata est in me. Verbum autem in corde meo seruauit.

VIII

Anno tertio regni baltasar regis. uisio apparuit mihi. Ego daniel post id quod uidi prima uisione mea cum esset in susis castro. quod est in helam regione. Vidi autem in uisione et ecce me super porta ulai. Et leuauit oculos meos et uidi et ecce aries unus stabat ante paludem habens cornua excelsa et unum excelsius altero atque succrescens. Postea uidi arietem cornibus uersus ad occidentem et ad aquilonem et contra meridiem et omnes bestiae non potuerunt resistere ei neque liberare de manibus eius. Fecit quod sibi uoluerat et magnificatus est. Et ego intelligebam. Ecce autem hircus capra ueniebat ab occidente super faciem terrae et non tangebat terram. Porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos et uenit usque ad arietem illum cornutum quem uideram stantem ante portam et cucurrit ad eum impetu fortitudinis suae. Cumque appropinquasset prope arietem efferatus est in eum et percussit arietem et comminuit duo cornua eius. Non potuit aries resistere ei. Cumque eum misisset in terram conculcauit et nemo erat qui liberare arietem de manu eius. Hircus autem capra magnus factus est nimis. Cumque crepuisset fractum est cornu magnum et ortum sunt quattuor cornua subter illud per quattuor ventos caeli. De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum et factum est grande contra meridiem et contra orientem et contra fortitudinem et magnificatum est usque ad fortitudinem caeli. Et deiecit de fortitudine et de stellis et conculcauit eas. Et usque ad principem fortitudinis magnificatus est et ab eo tulit iugiter sacrificium et deiecit locum sanctuarii eius. Robur autem datum est ei contra iugiter sacrificium per peccata et prosternetur ueritas in terra et faciet et prosperabitur. Et audiui unum sanctum loquentem et dixit unus sanctus alicui nescio cui loquenti. Usque quo uisio et iugiter sacrificium et peccatum desolationis quod factum est et sanctuarium et fortitudo conculcentur. Et dixit ei. Usque ad uesperam et mane dies duo milia. ccc et mundabitur sanctuarium. Factum est autem cum uidem ego daniel uisionem et quaerem intelligentiam. ecce steterunt coram me qui species uiri et audiui uocem uiri inter ulai et clamauit et ait. Gabriel fac intelligere illum visionem. Et uenit et stetit iuxta ubi ego stabam. Cumque uenisset pauens corrui in faciem meam. Et ait ad me. Intelligere fili hominis quoniam in tempore finis diplebitur uisio. Cumque loqueretur ad me prolapsus sum pronus in terram. Et tetigit me et statuit me in gradu meo dixitque mihi. Ego ostendam tibi quae futura sunt in nouissimo maledictionis. quia habet finem suum tempus. Aries quem uidisti habens cornua duo rex medorum atque persarum. Porro hircus capra rex graecorum est et cornu grande quod erat inter oculos eius ipse est rex primus. Ad ipsum fracto illo surrexerunt quattuor pro eo quattuor reges de gente eius absque robore eius. Et post regnum eorum cum creuerint iniquitates consurget rex impudens facie et intelligens propositiones et roborabitur fortitudo eius sed non in uiribus suis et supra quam credi potest uniuersa uastabit et prosperabitur et faciet. Et interficiet robustos et populum sanctum secundum uoluntatem suam. Et diriget dolos in manu eius et cor suum magnificabitur et in opportunitate omnem occidet plurimos. Et contra principem conterentium consurget et sine manu conteretur